17A

PROCANCELLARIVS
D. IO. FLORENS RIVINVS

COD. P. P. CANONIC. MARTISBVRG. CAPITVLI WVRZENS.

DECANVS ACADEMIAE DECEMVIR ET FACVLT.

IVRIDIC. ASSESSOR

SOLEMNIA DOCTORALIA


CANDIDATI CLARISSIMI

GEORGII CHRISTOPHORI BEYERI

ICHSTAD. SCHWARZE.

INDICIT.





Crescit indies facinorosorum malitia; nefanda et olim inaudita crimina, quotidiana fieri incipiunt: Imprimis amor sceleratus habendi adeo inuadit animos maleuolorum, vt dies propemodum diem noua excogitata latrocinia et furta violenta, doceat. Extant seuerissimae sanctiones poenales in fures et latrones, sed sufficere non videntur, ad refrenandam illimitatam istam improborum audaciam et temeritatem. Blanda ICtorum indulgentia ipsis saepe elabendi, et promeritas poenas eludendi occasionem et manus quasi auxiliatrices praebet, viam quam semel in perniciem aliorum ingressi, in multorum damnum quandoque irreparabile ambulandi, donec tandem, iusto Dei iudicio ad furcam deducti tristem finem laborum sentiant. Conquestus est *Dn. a* LEYSER *in Med. ad Pand. Spec. DXXXVI. Med. 13 18.* iniustam in fures indulgentiam et intempestiuam misericordiam. Me quod attinet, lubenter confiteor meque conuictum sentio, quod nimis ingeniosi et subtiles esse soleamus in arguendo furto qualificato, dum arma saltem letifera et vim coaduna-

 tis

tis hominibus illatam desideramus, leuia arma, e. c. cultros, effractionem ostiorum parietumque vt et ascensionem scala factam negligimus: quid quod, requirimus vt fur arma letifera animo nocendi et contra resistentes se defendendi secum sumserit. Hinc si fortuito in conclaui, quod furandi animo intrauit telum inueniat et arripiat eoque vtatur ad percutiendum aut vulnerandum eum qui superueniat, furtum, neutiquam pro qualificato reputamus. Inde memini, militem gregarium, gladio suo instructum, noctu in flagranti deprehensum, cum arma sua ordinaria et gladium ex more militum a latere gestasse assereret, a poena capitali liberatum fuisse, in euentum sin assertum suum sub tormentis confirmaret, et animum nocendi declinaret, quasi non eadem ratio appareat idemque vitae periculum metuendum a latrone armis instructo, quocunque demum modo eorum compos factus, et ac si non leuioribus etiam armis e. c. cultro, praesertim si talis sit quo lanii in iugulandis pecoribus vtuntur inferri mors aut vulnera infligi queant. Pariter nimis mites nos exhibemus in aestimandis rebus furto surreptis, non verum pretium, aut id quod furtum passus mediante iuramento indicauit, admittimus, sed, si res furtiuae fungibiles in natura extant, arbitrio taxatorum committimus vt minuant pretium, et manibus carnificis laqueum parantis quantum possibile eripiant furem. Sic, si furto vasa argentea nouissime comparata contrectantur, non quod aurifabro solutum, sed pretium saltem internae bonitatis in computationem venit. Si duo

duo pluresue furtum perpetrarunt, beneficium diuisionis liberaliter ipsis tribuimus, ita vt si tres correi coniunctim XXXVII thaleros abstulerint, neuter eorum poena capitali afficiatur, qua e contra omnes tenentur, si quantitas illa vel vnico floreno augeatur. Capitalis poena nunquam irrogatur furi famosissimo si furtum passus quantitatem ablatam sacramento indicare recuset, licet fur ipsemet centum florenos se abstulisse confiteatur, et res furtiuae quantitatem legibus determinatam longe superent, totque corpora delicti apud furem inueniantur, aut ille innumera alia furta se commisisse indicet; nemo enim ex sua confessione interficiendus, sed saltem fustigatum in vicinam prouinciam dimittimus, vt artem nociuam et nefandum vitae genus reassumendo continuare valeat. Ius vitae necisque in manus priuatorum collocamus, qui confitentem furem remissione sua, ex intempestiua misericordia, aliis miseratione vere dignis nociua, extra vitae discrimen constituunt. Fortasse expediret reipublicae, vti Lubecae factum fuisse commemorat DAV. MEVIVS *comment. suo Part. IV. Tit. I. art. VII. n. 6.* abrogare in totum priuatorum hac in parte arbitrium, qui saepe dubia et scrupulosa conscientia, in re tam ardua, quid semel statuendum sit perpendentes, cruciantur. Pariter remissionem non puram et cathegoricam requirunt in foro crimali sed sub conditione factam sufficere autumant, conditionem enim pro non adiecta habent, praesertim si remissio fiat sub tali conditione, cuius implementum neque in furis nec iudicis potestate positum e. c. wenn der

Dieb

Dieb auf den Bau oder an einen andern sichern Ort gebracht wird, wo er niemand weiter schaden kan. Inde in graui furti causa, quae coram Praetorio Dresdensi adhuc haeret, ob furtum domesticum aliquot millium thalerorum, cum dominus de remissione interrogatus, sibi inducias vsque ad feralem sententiam expeteret, Ordo noster furi poenam laquei in eum euentum si dominus remissionem detrectaret, dictabat; postea quidem commouebatur dominus ad remissionem; sed sub expressa conditione quam iisdem verbis antea adduxi, sed ICti Vitembergenses spreta remissionis limitatione, eandem in sensum purum accommodabant, poenam capitalem in corporis afflictiuam commutantes, et in solatium remittentis, clausulam adiiciebant, quod iusta sua desideria loco congruo exponere non prohibeatur. Iure nouo Electorali, quanquam facultas remittendi furtum passis non quidem in totum ademta, attamen decisione speciali, quae inter nouissimas superiore anno emissas est XL. expresse sancitum, vt imposterum remissiones sub expressa conditione factae pro puris non accipi, sed tunc demum effectum suum sortiri et pro obligatoriis censeri debeant, si conditio adiecta ad amussim impleatur, limitata enim causa, limitatum etiam effectum producit. Dum remissionis mentionem iniicio, silentio non praetereunda causa restitutionis, quae itidem furi, spontanea, iusto tempore facta confessione, ad declinandam poenam capitalem prodest, quando non furtum magnum quod attingit quantitatem duodecim thalerorum et totidem grossorum, resti-

ſtituendum remanet, qua indemnitate domino praeſtita, nonnulli furem ipſo iure tutum a poena capitali pronunciant, licet tertius, qui res furtiuas bona fide comparatas, domino easdem vindicanti, non recuperato pretio exhibere tenetur, damnum graue ſentiat. Ad tuendam hanc ſententiam in adiutorium vocant verba *Nemeſeos Carolinae Art. CLX:* wie ſchädlich dem beſchädigten der Diebſtahl iſt, et per laeſum den beſchädigten, tantum dominum rei furtiuae intelligunt, qui ſi res ſuas iterum recuperauit, et indemnis redditus, furti labem extinctam eſſe putant, damnum tertii amplius non reſpiciunt, ſed ad fraudulentum venditorem, ſi fortaſſe aliquid in aere habeat, remittunt. Eandem ſententiam in Saxonia non obſcure comprobari *reſcripto regio de dato XXVI. Aug. MDCCXX.* his verbis: Nichtweniger wenn der beſtohlne die geſtohlne Sachen oder den Werth derſelben ſonſt wieder erhalten, colligunt. Particulam enim ſonſt de quocunque alio modo reſtitutionis a tertio factae, indiſtincte, ſiue tertio iterum ſatisfactum ſit nec ne, accipiunt, et lege non diſtinguente diſtinguere haeſitant, praeſertim in cauſa criminali, in qua in dubio ſemper mitior pro reo in redimendo ſanguine amplectenda ſententia. At enim vero ſecta ICtorum rigidiorum eadem verba ordinationis criminalis ſua facit et ita interpretatur, vt beſchädigten, quemlibet laeſum, adeoque non ſolum eum cui res ablata, ſed et tertium, cui facto illo illicito et turpi nempe furto, vere damnum illatum, intelligat, adeoque ad certae alicuius perſonae commodum vel in commodum non reſtringat. Dominus

minus

minus quidem rem suam vindicans suum recipit, sed neutiquam tertio bonae fidei possessori a quo res furtiua repetita, damnum resarcitum, quippe ex eius bonis res furtiua aeque ac si ab initio eius fuisset et ab ipso fure surrepta, abesse incipit per vindicationem, adeoque fur et intuitu huius furtum fecisse putandus. Rescriptum vero Regium, se vnice referre videtur ad casum restitutionis domino rei furtiuae factae, non vero quaestionem attingit, quid iuris esse debeat circa tertium bonae fidei possessorem rei furtiuae a quo eadem euincitur; sane eiusmodi restitutio nomen restitutionis vix meretur, quia idem adhuc restituendum quod est ablatum, licet alii quam cui amotum. Nec fauor furum nos inuitare debet ad causam eorum defendendam qui maximo prosequendi erant odio. Nos salua praerogatiua verborum contra sententiam et legislatoris mentem nos excusare, et saluis verbis securitatem publicam circumuenire non debemus *L. 29. π de legib. et L. 5. C. eod.* Communiter hanc interpretandi rationem ineunt commentatores ad Ordin. Crim. dict. art. et constans ac perpetuus propemodum collegiorum juridicorum est hic pronuntiandi modus. Ita Vitembergenses *vid. Nob. de* BERGER *El. Crim. pag. 26. 35.* Helmstadienses *vid. Dn. a* LEYSER *Med. ad Pand. Specim. DXXXV. med. 13.* Scabini Lipsienses iuxta CARPZOVIUM *Pr. Crim. Qu. LXXX. n. 51. seq.* responderunt. Eadem vestigia premit Ordo noster, qui M. Sept. anni mill. septing. quadr. tertii ad iustitiarium, C. poenam capitalem dictare eo casu non dubitauit, vbi inter alias rationes et sequentes reddidit;

D. A.

D. a. u. d. die peinliche Halß-Gerichts-Ordnung art. 160. die in causa furti gesetzte Leib- und Lebens-Straffe, darnach, wie schädlich dem beschädigten der Diebstahl seyn mag, zu beurtheilen anweiset, welches nicht alleine von denen Eigenthümern selbst, so den Diebstahl erlitten, sondern auch von denenjenigen an welche ein Dieb gestohlne Sachen verkauffet, und er solche bona fide an sich bracht, dieselben aber ohne Entgeld wieder auszuantworten angehalten worden, als die an deren Stelle treten, und eben dadurch in Schaden und Verlust gesetzet werden, zu verstehen und anzunehmen. Exoptandum ſane, vt authentica interpretatione omnis litigandi et variandi praeſcindatur occaſio, ne fortaſſe aliquando pluralitas votorum, quae ſaepius numero magis quam pondere aeſtimantur, iuſtam animaduertendi rationem vincat. Etenim cum multitudo malorum, et atro carbone notanda furum cohors, numerum bonorum ſuperare propemodum incipiat, nec amplius hoſpes ab hoſpite tutus, poenaque in fures ſtatuta vix ſufficere et reſpondere videatur frequentiae actuum nociuorum, ad obtinendam ſecuritatem publicam et priuatam, monente CLAVDIO SATVRNINO, in *L. 16. §. 10. π de poen:* nimium multis perſonis graſſantibus, exemplo opus ſit, exacerbanda magis ſupplicia maleuolorum, quam temperanda, nec honorariam operam amici, ſed ſeueritatem iudicis deſiderant. Coniiciant igitur leges vltrices, fures, praeſertim nocturnos, indiſtincte in vitae periculum, non attenta quantitate quinque ſolidorum, vti a Rege Boruſſiae et Duce Vinarienſi prouiſum recordamur. Iam Speculator Saxonicus *L. 2. art. 13.* furem ſimpliciter ad furcam damnauit: **Den Dieb soll man hängen.** Peccata non rerum euentu ſed vitiis hominum, qui tranquillitatem publicam turbant, et vinculum ſocietatis ciuilis rum-

 punt,

punt, metienda; in quo peccatur id poteſt aliud alio magis eſſe vel minus, ipſum quidem illud peccare vnum eſt. Ad augendam transeundi culpam nihil pertinet, quam longe progrediatur delinquens, cum ſemel tranſierit lineas. Furari licet nemini, quod autem non licet, in hoc vno tenetur, ſi arguitur non licere; id nec maius nec minus vnquam fieri poteſt, quoniam in eo eſt peccatum ſi non licuit, quod ſemper vnum et idem eſt. Quae ex prohibitione legis naſcuntur peccata, aequalia ſint oportet. Prauitates animi recte vitia dicuntur, peccata, quoniam ex vitiis manant ſint aequalia, neceſſe eſt. Sane vis magna foret, quae arcere poſſet homines ab omni improbitate furti, ſi ſciuerint et ſenſerint nullum in delicto furti quoad quantitatem eſſe diſcrimen, et imminere mortis periculum ſiue binos tresue thaleros ſiue duodecim cum dimidio auferant. Quicquid non licet nefas putandum etiam in minimis rebus, ſiquidem rerum modum effingere non poſſumus, animorum modum tenere poſſumus. Quicquid peccatur perturbatione rationis et ordinis peccatur, perturbata vero ſemel ratione et ordine nihil poteſt addi, quo magis peccari poſſe videatur. Ne ergo furum latronumque per totam prouinciam vlterius ferueat inſania, incutiat ipſis, imprimis nocturnis, lex publica terrorem, grauitate poenae, nempe metuendae mortis, et inſipidum ſecernat vulgus, non habito reſpectu ad quantitatem, qualem rigorem leges militares ad tuendam diſciplinam et boni ordinis cauſa ſtricte obſeruant. Eadem profecto mihi ſecuritas et pax domeſtica poſtulat priuilegia, eundemque rigorem contra violatores; De hoc argumento commentationem conſcripſit GEORG BEYER Anteceſſor olim Vitembergenſis, qui §. *fin.* hominum de plebe defenſorem egit, aſſerens de iis pacem domeſticam,

rarius

rarius violari. Reprehenſus deſuper merito, reclamante quotidiana experientia a *Dn. a* LEYSER *Med. ad Pand. Spec. DXCI. corol.* 2. Haec ſunt pia mea deſideria, quae ſi fortaſſis paradoxa nonnullis viſa fuerint, ſciant, quod diſſimulare nolo, anſam cogitandi mihi praebuiſſe CICERONEM *Parad. III.* vt, quam varie eueniat indulgentia eorum qui de iure reſpondent, vt homines ad maiora facinora inuitentur, et vt eſt apud eundem CICERONEM *in L. Piſon. cap. XXVII.* tantummodo improbus, crudelis; olim furunculus, nunc vero etiam rapax, impunitate aliquoties perpetratorum furtorum efficiatur, furta vero in ſe maxima, excuſatione fori minima efficiantur, expenderem, cum ſcribendum mihi eſſet in gratiam Candidati noſtri Nobiliſſ. qui de Furto magno eiusque poena, duce Excellentiſſimo HOMMELIO noſtro, rerum criminalium peritiſſimo et exercitatiſſimo thema diſſertationis ſuae inauguralis eſſe voluit. Eſt is.

GEORGIVS CHRISTOPHORVS BEYER

Natus die VI. Nouembr. anni huius ſeculi vigeſimi primi Ichſtadii pago in terris Schwarzburgicis ſito. Patrem veneratur GEORGIVM BALTHASARVM BEYERVM in ciuitate Sangerhuſana conſulari dignitate conſpicuum; matrem ANNAM MARIAM FETTIAM. A primis ſtatim incunabulis priuata praeceptorum vſus inſtitutione, parentibus vero ſedem fixam fortunarum Sangerhuſae conſtituentibus, publicam ibi frequentauit ſcholam. Adultior factus prudenti optimorum parentum conſilio in prouinciale Portenſe Lyceum miſſus, ibidem vltra luſtrum commoratus, bonis literis, quae ab humanitate nomen acceperunt, induſtriam ſuam ſacrauit, imprimis ex FREYTAGII et HVBSCHII praeceptis multum ſe profeciſſe lubens gratusque teſtatur. Iactis rite ſtudiorum fundamentis, Menſe Octobr. ann.

 MDCCXLII

MDCCXLII Musis Portensibus valedixit ad altiora tendens. Primum elegit Academiam quae Halae floret in qua eodem mense et anno Prorectore B. GASSERO se in numerum studiosorum cooptari curauit. Interfuit praelectionibus BOEHMERI tam patris quam filii, CARRACHI, KNORRII. In Historia Duces secutus est, WIDEBURGIUM, SCHMEIZELIUM et MICHAELEM. Biennio transacto, almam nostram Mense Octobr, MDCCXLIV salutauit, Magistratum Academicum gerente WINCKLERO, a quo albo ciuium academicorum insertus fuit. Auditoria IAC. MASCOVII, TRAUGOTT THOMASII, MENCKENII et RICHTERI frequentauit, et triennium fere audiendis eorum traditis insumsit; mea quoque subsellia non neglexit. Cursu studiorum per quinquennium, a Iustiniano olim praescriptum, felici successu absoluto, cum legitimae scientiae iuris nihil deesse videretur, ab Ordine nostro praemia laborum et summos quos Themis cultoribus suis largitur honores, modeste petiit. Admissus ad bina consueta examina, vtroque expectationi nostrae omnino satisfecit, quare nulli dubitauimus, promeritos ipsi decernere honores. Habebit ergo in Auditorio nostro Petrino die Mercurii hora pomerid. II. lectionem cursoriam ad C. II. X. de Concessione praebendae, et ecclesiae non vacantis. Die sequente Dissertationem inauguralem thematis supra commemorati sub moderamine Excell. D. FERDINANDI AUGUSTI HOMMELII *ICti Instit. P. P. Ordinis nostri Assessoris, Collegae honoratissimi*, defendet. His peractis Excellentissimus Dn. GUSTAVUS HENRICUS MYLIUS *Potentiss. Reg. Pol. et Elect. Saxon. in summo quod ab Appellationibus nominatur Iudicio Consiliarius, supremae curiae Prouincialis Lipsiensis Assessor, Ordinis nostri Senior*, cui vices meas demando, summos in vtroque Iure honores et priuilegia doctoralia, excepta spe ad sessionem et votum in Collegio nostro adspirandi ipsi conferet. Quem Actum solennem vt RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICUS, *Comites Illustrissimi, vtriusque Reipublicae Proceres*, honorifica sua praesentia splendidiorem reddant, Generosissimi vero et Nobilissimi Ciues Academici simul concelebrent, omni qua decet et quae cuique debetur obseruantia rogo. Dabam Dom. III. P. F. S. S. T. MDCCXLVII.